



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XLIII. Argumentum. Ad quem Parochum spectet baptizare filium natum ex accidenti extra Parochiam genitorum ejus? resolvit hæc Decisio. Item quid agere debeat Sacerdos vocatus ad obstetricandum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

DECISIO XLIII.

ARGUMENTUM.

Ad quem Parochum spectet baptizare filium natum ex accidenti extra Parochiam genitorum ejus, resolvit hæc Decisio. Item quid agere debeat Sacerdos vocatus ad obstetricandum in necessitatis Casu? Et an baptizanda Catechumena phrænctica moribunda?

SUMMARIUM.

1. Filius natus extra Parochiam genitorum à quo Parocho baptizandus?
2. Jurisdictionis Parochialis est actus baptizandi.
3. Infirmitate oppressus in aliena Parochia à quo recipiat Sacramenta?
4. Natus extra Parochiam in loco valde distant baptizatur à Parocho loci.
5. Sacerdos vocatus ad obstetricandum quid agat?
6. Phrænctica Catechumena moribunda an baptizanda?

Occurrit frequenter, ut recreationis causa, vel ex alio honesto motivo Mater gravida in alienam domum transiens, ibi ex abrupto filium pariat. Quæritur in tali casu, ipse Filius natus extra Parochiam genitorum, à quo Parocho sit baptizandus? Pro resolutione hujus casus, ex quo jurgia solent nasci inter Parochos, dicendum est: Vel locus, ubi natus est filius, parum distat à Parochia genitorum ejus, & ad Parochiam ipsorum genitorum est deferendus idem Filius, ut baptizetur à Parocho eorundem genitorum; actus enim baptizandi solemniter, & extra casum necessitatis, est actus Jurisdictionis Parochialis, ut ex doctrina S. Thomæ 3. p. q. 67. art. 2. in corp. & Scoti in 4. dist. 6. qu. 2. probat Gobat de Baptism. d. tract. 2. n. 130. Et nos diximus supra in Decis. XXXV. num. 3. cum auctoritate Rotæ Romanæ, & Doctorum. Quæ quidem Jurisdictioni nequaquam acquiritur Parocho, intra cujus Parochiæ limites nascitur Filius ex accidentali habitatione, per text. in cap. De iis de sepultur. cap. 1. & 2. eod. tit. in 6. Barbosa de Parocho cap. 25. num. 26. & seqq. ubi DD. & novissimè Emin. Cardin. de Luca in tract. de Parochis disc. 23. num. 9. & 10. Et ideo si puerpera effudisset foetum in domo parentum, ad quos divertisset recreationis causa per aliquot dies, relicta domo Mariti, Baptismus conferendus de Jure esset per Parochum Mariti, & idem est dicendum, ac observandum ex quacunque alia causa mulier prægnans in alienam domum transisset, puta vel ad gubernium infirmorum; vel causa serviendi hospitibus, vel ex alia accidentali occasione; nam ratio est manifesta, cum consimilis transitus non faciat acquirere domicilium, seu habitationem talem, ex qua sit subdita Jurisdictioni istius Parochi, quò ad Baptismum proles recentè natæ, cum præjudicio Parochi suæ veræ, & solitæ habitationis. Neque obstat, quòd si hæc puerpera extra suam Parochiam foetum enixa infirmaretur, reciperet Sacramenta non à Parocho suæ solitæ habitationis, sed ab illo, intra cujus Parochiam peperit, & infirmatur; ut in praxi quotidie videmus, cui etiam

accidentali Parocho, in casu mortis, debetur portio quartæ funeralis: quandoquidem dispar est ratio inter Filiolum baptizandum, & matrem infirmam Sacro Viatico, & Extrema Unctione reficiendam; ille enim potest absque incommodo deferri ad suam propriam Parochiam; & ideo fuit suppositum, quòd locus nativitatis parum distet à domo genitorum; at puerpera infirma deferri ad suam solitam habitationem commodè non potest; & ne proprius ejus Parochus intret ad exercendam Jurisdictionem intra limites alterius Parochiæ, Parochus loci dat Sacramenta morituriienti; & casu quo posset ipsa mater infirma ad suam Parochiam, & habitationem solitam transferri, cessat omnis controversia, & à proprio Parocho recipit Sacramenta, sicut ipse infans Sacrum Baptisma. Cap. Ecclesiæ 13. qu. 1. Gobat de Baptism. d. tract. 2. num. 135.

Quod si locus, in qua nascitur infans, esset valde distans à Parochia genitorum; itaut ad eam non posset deferri sine magno incommodo, vel evidenti periculo ipsius baptizandi; in hoc casu Parochus loci, in quo reperitur, poterit eundem infantem baptizare; ad exemplum peregrinantium, de quibus statutum est, ut Mater in peregrinatione parturiens, possit sibi, & filiolo suo eligere quem maluerit, fontem Baptismalem. Gloss. in cap. Nec numerus. in Verb. Aut in electa. 10. qu. 3. Barbosa de Parocho cap. 18. num. 7. Gobat d. tract. 2. num. 133. Tanabutin. de Triplic. Jur. lib. 5. cap. 4. §. 3. num. 3. & Sanchez de Matrimon. lib. 3. disput. 23. num. 3.

Sed hic curiosus fatis eventus recensentur à Doctoribus infra citandis, qui vix potest accidere, & est hujusmodi: Sacerdos iter agens à Puerpera jacente non procul à semita vocatur, rogaturque, ut sibi dolores partus patienti obstetricetur, ne ipsa, & proles mox nascitura pereat. Quæritur, quid facere debeat Sacerdos? Duo quidem sunt dicenda: Primo, ad vocandos vicinos hunc Sacerdotem accurrere debere, si non procul distent; sic enim & parceret proprio pudori, obviabitque periculo animæ suæ consentiendi impuræ delectationi; & suffragabitur necessitati parturientis. Secundo, sed data impossibilitate vocandi alias personas, ex supposito, quòd casus iste accidat in agris omnino desertis quacunque domo, vel habitatione, deberet iste Sacerdos officium obstetricis assumere, & se auxiliatorem puerperæ exhibere implorata ope Divina, & firmo emissio proposito non consentiendi cogitationi turpi. Ratio est, quia ex charitate tenemur succurrere proximo existenti in necessitate tum animæ, tum corporis. S. Thomas 2. 2. qu. 26. art. 4. & 5. In præsentem autem hypothese extat periculum animæ proles, nascentis; & periculum corporis & proles & Matris illam effundentis, nisi adjuvetur. Et ita in terminis decidit Gobat de Baptism. d. tract. 2. nu. 196. & ibi P. Stephanus à S. Paulo Theol. Moral. tract. 3. disput. 3. num. 5. & Joan. Sancius in Select. disput. 10. num. 9.

Corollarii loco etiam sequens Casus venit resolvendus. Vir Nobilissimus hæmelam Turcam captam in bello, quam dono habuit ab amico militis. Hæc nondum baptizata infirmatur, & incidit in phrænctism; à qua nec sectione venæ, neque aliis remediis liberari potest; & ingravescente febri, Medicus ejus vitam desperatam pronunciat. Quæritur, an sit ei conferendus Baptismus?

mus? Circa Casum hunc est distinguendum: Vel scemella nondum est septennis, neque usum rationis est adeptus? & in hoc casu absque hæsitacione est lustrali aqua tingenda, ut salutem consequatur æternam, sicut fieri debet cum quocumque parvulo, & infante nondum baptizato. Quod si hæc scemella Turca septennium excedat, usumque habuerit rationis, observandum est; an petierit Baptismum, & voluntatem ostenderit suscipiendi fidem Christianam? nam si hæc voluntas fuerit in ipsa, absque dubio erit baptizanda. At si detrectaverit, & protestata fuerit, se in Turcica religione permanuram non est ei Baptismus conferendus, cum necessaria sit fides Christiana, & libenter ejus explicacionem audiens, signa non levia dedisset voluntatis suæ ad illam amplexandam, & Baptismum suscipiendum; in hoc casu esset baptizanda sub conditione si capax es Sacramenti hujus; ex traditis per Mastrium in Theolog. Morali disput. 17. num. 43. Layman. libr. 5. tract. 1. cap. 6. num. 4. & Gobatum d. tract. 2. de Baptismo à num. 293. & seqq. omnino legendum, ubi eurrenti, sed erudito calamo plures, satisque curiosos casus enunciat, & resolvit circa voluntatem Adultorum baptizandorum.

DECISIO XLIV.

ARGUMENTUM.

Agitur de nomine imponendo filiis, dum è sacro fonte levantur. Quænam essent Regulæ antiquorum in imponendis nominibus filiis suis? Exempla Romanorum, Græcorum, ac Germanorum. Christianis vel imponenda nomina Sanctorum, vel quæ non sint Deorum inanum. Aliæ eruditiones multæ circa nominis impositionem.

SUMMARIUM.

- 1 Nomina prophana an imponenda in baptismo?
- 2 Antiqui imponebant nomina vel suorum majorum, vel ab aliquo eventu.
- 3 Florum & arborum nomina sæpe posita filiis.
- 4 B. Juniperi inobedientia erga S. Franciscum.
- 5 Ritualis Romani monitio ad Parochos circa nomen baptizandorum.
- 6 Nomina falsorum Deorum non imponenda in Baptismo.
- 7 Sanctorum nomina cur imponenda baptizandis?
- 8 Nomen imponere filiis ad quem spectet?
- 9 Pater, & Mater designant nomen filii.
- 10 Hebræorum nomina an imponenda filiis baptizandis?
- 11 Nomen Masculinum, vel Femininum an imponendum sexui incogniti?

Quoniam in baptismo, dum infans regeneratur lavacro Sacro, eidem imponitur Nomen; convenit in præsentem examinare, ac resolvere sequentem difficultatem; Videlicet: An in Sacro lavacro liceat imponere nomen Viri, aut mulieris nondum relatæ in numerum Sanctorum? Pro ma-

jori intelligentia hujus difficultatis præmittere oportet: Primò quòd antiqui ponebant nomina filiis suis vel ab exemplo majorum, seu cognatorum illustrium, tum ut eorum heroica facta imitarentur, tum ut illorum memoria, & gloria in iisdem filiis remaneret superstes; idèò Elisabeth vocanti filium suum Joannem opponebant Judæi: *Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Luc. 1. 61.* Vel ab aliquo memorabili eventu. Hinc Romani vocarunt Corvinum à Corvo, qui ei in castris victoriæ omen dedit. Cæsarem à cæsarie, cum qua natus proditur. Caligulam à caliga militari, qua sæpe utebatur. Sic nuncuparunt Pisones, quòd optimè pisæ fererent, Cicerones quia ciceres, Fabios fabas, & Lentuli lentes. Sic appellatus est Servius, quia genitus è Matre serva; Paulus à parva statura, & Torquatus à torque, quem Gallo in pugna detraxit. Ita faciebant Græci, qui nuncuparunt Platonem à latis humeris, Chrysostomum quasi os aureum, Gregorium quasi vigilem, Theodorum quasi donum Dei. Item Germani, & Belgæ, qui vocarunt Fridericum quasi pacis, & fœderis divitem; Lotharium quasi plumbeum cor; Leopoldum quasi Leonis pedes; & alios plures, quos ex probatis auctoribus refert Cornelius à Lapido tom. 1. in Pentateuchum canon. 17.

Secundò est præmittendum; quòd sæpè antiqui imponebant filiis suis nomina arborum aut florum. Sufficiat exemplum B. Juniperi unius è primis sociis S. Francisci; nam Juniperus vulgò Ginebro, est arbuscula, quæ nascitur in locis arenosis, cui prædictus Beatus adeò deditus erat, ut quadam die in ea plantanda occupatus, cum vocatus à S. Francisco non accurrisset, nisi completo opere, Sanctus Pater in pœnam inobedientiæ ejus præcepit arbori ne unquam cresceret, prout factum est, ut narrat Wadingus in Annal. Minor. Ann. 1222. num. 11. His prænotatis: Respondetur ad Quæsitum, quòd in Catechismo Romano 1. part. cap. 2. n. 75. & in Rituali Romano à Paulo Quinto approbato, monentur Parochi his verbis: *Et quoniam iis, qui baptizantur, tanquam Dei filii in Christo regenerandis, & in ejus militiam adscribendis, nomen imponitur; curent, ne obscæra, fabulosa, aut ridicula, vel inania Deorum vel impiorum Ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum; quorum exemplis fideles ad piè vivendum excitentur, & paternis protegantur.* In Rubr. de Baptism. in fin. Ex quibus verbis hortatoriis, quàm præceptivisprehenditur, non esse illicitum in Baptismo imponere nomina Virorum, vel mulierum nondum relatarum ab Ecclesia in albo Sanctorum; dummodò ea nomina non sint obscæra, fabulosa, aut ridicula, vel inania Deorum, aut Ethnicorum impiorum: qualia forent Cæcus, Bacchus, Saturnus, Juno, Venus, Cybele, & similia siquidem consuetudo totius Europæ invaluit, ut frequenter imponantur nomina nullius Sancti, forsitan ad memorandos antiquos Progenitores illius familiæ, qui armis, vel litteris florere: ut sunt Ferdinandus Garzias, Comezius, Urtadus, Sfortia, Pamelius, Marchantius: & hic Patavii habemus plures viros nobiles nominatos in baptismo Variscum, Galeatium, Patarum, Aliducem, Brunorium, Lepidum, Claudiam, Genevam, Pefarenam, Benafudam, Eleonoram, & consimilia nomina, quæ improbanda non esse tenet Gobat de Baptism. d. tract. 2. num. 335. & ego cognovi Vetulam, quæ nominabatur Venus; quam utique proscriptam fecisset Poile-